

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Amico cuidam

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

mos liberos seruet incolumes. Vobis etiam opto, ut incolumes & Leti conspectu mutuo ac dulcissimo- rum sermonum communicatione fruamini: & ut colloquium uestrum sit uelut nepenthes, quod leniat mœsticiam, quam propter Rempub. ut omnes boni uiri toto orbe terrarum, ita & uos circumfertis. Mihi hic in oppido mœstissimo nulla res humana alia, nisi Pauli consuetudo, dolorē mitigauit. Nunc solitudinē ualde metuo: sed si diutius eum retinebitis, me quoq; isthinc attrahetis unā. Est simul & honestissima & dulcissima ratio, uiuere in consuetudine doctorum, ac eruditis colloquijs pectus ad cogitationem de Deo & alijs rebus bonis accendere. Hæc ratio uiuendi præcipuè appetenda esset, etiamsi quid aliud in uita delectare nō posset. Nunc in hac confusione imperiorum, quid delectare hominem sanum potest? Confugiamus igitur ad hanc uiuendi rationem, & nobis quantum Deus concedit, mutuis officijs dolores leniamus: uota etiam cōiungamus, ut Deus Ecclesiæ semē sanctū, studia doctrinæ, & hospitia aliqua seruet. Hæc uota non erunt irrita, sed magis medebuntur publicis calamitatibus, quā regum conuentus. Sed sum breuior, quia talium sermonum scio congressus uestros ple- rosq; fore. Vale, Die 6 Septembris, Anno 1547.

Amico cuidam.

In hac confusione Reipublicæ, etsi multa sunt

x 5 quæ

quæ nobis intuentibus hominum uitam, magnum
 dolorem adferunt: tamen cum uiderim, aliquas in-
 terca Ecclesiæ reliquias esse, quæ cum diuinitus ser-
 uentur, ostendunt etiam nos non abiectos à Deo esse:
 & passim alios uiros doctos & honestos, qui fi-
 deliter propagare literas et optimas artes student:
 non nihil acquiesco, quasi portum aliquem prospici-
 ens. Quæ cogitatione cum tuum ingenium, eru-
 ditionem, mores, fidem in docendo, grauitatem in
 omni officio contemplor, magnam uoluptatem ca-
 pio, harmoniam illarum pulcherrimarum uirtutum
 considerans. Nam cum eruditione excellas, non mi-
 nus literis ornamento sunt ceteræ tuæ uirtutes,
 quam tibi literæ ipse. Sæpe etiam mihi gratulor
 cum tanto uiro amicitiam esse, ex quo hoc tempo-
 re magnum fructum percipere posses, nisi te lu-
 ctus propter fratris (uiri præstantis sapientia &
 uirtute) interitum domi retineret. Desponsauisti
 meam inueni docto & modesto: cumq; ad sa-
 cram nuptiale amicos uocauerim, te quoq; maxi-
 me adesse optarim: id enim mihi & literis hono-
 rificum esse ducerem, gauderemq; te in ipso cœtu
 cum cæteris tua uota cõiungere: qui quo magis ex-
 pendo uitæ pericula, eo ardentius peterẽ guberna-
 ri meos diuinitus. Cum autem de te uocando delibe-
 rarem, simulq; de tua erga fratrem pietate multa di-
 cerentur: non ausus sum tali tuo tempore petire, ut

ad nos accederes, præsertim cum mihi historia de
 tuo patre, uiro grauiſſimo, cõmemoraretur: quem
 aiunt, cum ad nuptias à quodam amico uocaretur,
 ſemestri exacto, post mortẽ tuæ matris (quam cum
 alijs omnibus uirtutib. excelluisse, tum uerò literas
 & philosophiam coluisse scimus) ualde commo-
 tum dixisse, mirari se amici duritiem, qui lugentis
 talem coniugem, rationem putaret nõ habendam,
 perinde ac si cui pera de cingulo decidisset. Cum i-
 gitur tibi non minorem pietatem tribuamus quam
 patri, & horum temporũ mœsticia cõmunis tuum
 dolorem augeat, pudore impedior, quo minus te
 accersam. Facies tamen, quod tibi uiro sapienti ui-
 debitur. Hanc autem epistolam ad te misi, nõ solũ
 ut beneuolentiã erga te meam, quæ erit perpetua,
 testarer: sed etiam ut cognosceres, nos luctus tui ra-
 tionem habuisse: & tamen peterem, ut animo no-
 biscum adsis, & uota pro nobis ad Deum facias, ut
 & Ecclesiam & eius domicilia & studia seruet
 ac regat, & tuis meisq; liberis det uita curriculum
 salutare, ut sint *omnũ dñõs*: quod profectò tuis li-
 beris toto pectore opto. Ac ut bene sperẽ, moueor
 illa grauiſſima sententia, quæ etiam si in Poemate
 prophano scripta est, tamen in diuinis Oraculis se-
 pe repetitur, *sic uel sicut patet, &c.* locum

Theocriti nostri. Bene & feliciter

uale, & rescribe. 1550.

Martine